I. N. J.

DISQUISITIO JURIDICA

DE

ASSASSINIO;

QVAM

PRÆSIDE

WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/

U. J. D. & in Alma EBERHARDINA

Profeſſore Publico,

Publicè diſcutiendam proponit

LUDOVICUS-PLEICKHARDUS L. B. à Freyberg/ rc.

Ad diem Septembr.

TUBINGÆ.

Anno M. DC. LVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SERENISSIMO

CELSISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

EBERHARDO III.

DUCI WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ, COMITI MONTIS-BELGARUM,

DYNASTÆ HEIDENHEMII, &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

UBERRIMA DIVINÆ CLEMENTIÆ INCREMENTA
PROSPEROS A DEO SUPRA VOTA SUCCESSUS,
COELESTEM SECUNDI HUJUS, VERE SECUNDI
MATRIMONII BENEDICTIONEM,
ET
QUÆCUNQUE PRINCIPIS VOTA SUNT,
EX INTIMIS ANIMI FIBRIS ADPRECATUR VOVETQ.
AC SIMUL
EXERCITIUM HOC ACADEMICUM,
CEU STUDII JURIDICI PRIMITIAS,
IN DEBITÆ GRATITUDINIS ET HUMILIMI OBSEQUII
SYMBOLUM,
UT ET SE, SUAQUE OMNIA,
DEVOTISSIMA MENTE MANUQUE

OFFERT

DEDICAT

CONSECRAT

COMMENDAT

Ludovicus-Pleickhardus à Freyberg/
Auth. & Reſp.

I.N.D.N.J.C.

QVanquam benigna mater Natura quandam inter nos cognationem inſtituerit, & proinde hominem homini inſidiari nefas ſit, ſecundum Ictum Florentinum in l. 3. ff. de Juſt. & Jur. *eo tamen audaciæ, eo nequitiæ homines in hac ultima mundi ſenecta pervenere, ut exuta omni humanitate, alter alterum interficere, & lucri cauſa latrocinia exercere non erubeſcat; imo magnam eorum licet metere meſſem, qui ad jugulandos & dilaniandos homines, à quibus nunquam offenſi fuerunt, pretio ſe conduci patiuntur. Quod crimen cum ſit longe atrociſſimum & omnibus Chriſtianis merito deteſtandum, atque in Italia præſertim, uti & in magna Galliæ parte, frequentiſſimum, libuit materiam illius paulo preſſius ad animum revocare: Eſto itaque cum bono DEO*

THES. I.

CUm in quavis tractatione præprimis methodi rationem habendam eſſe, moneant & Philoſophorum & JCtorum leges atque exempla, idcirco ipſorum monitis in præſenti diſquiſitione obtemperaturus, eorundemque veſtigia calcaturus, totam hujus materiæ tractationem in duas diſpeſcam partes: Generalem ſc. & ſpecialem. Generalis τὰ πρῶτα ſeu præcognita, nempe definitionem & diviſionem exhibebit. Definitio vel nominalis vel realis.

II.

Quoad nominalem conſideranda venit primo omnium ipſa ἐτυμολογία; in qua inveſtiganda veteres

quoque JCti quam maxime ſolliciti fuere: uti id ipſum apparet ex *l. 1. §. 1. ff. de offic. quæſt. l. 1. ff. d. furt.* aliisque ſexcentis textibus. Vocatur autem crimen, de quo in ſequentibus theſibus agere placuit, Aſſaſſinium; quæ vox parum latina eſt, & barbariam potius, quam Latium patriam ſuam agnoſcit, nec ullibi apud purioris Latinitatis cultores eam reperire licet; ætate enim Romanorum & longo poſt tempore plane incognita fuit: dicta quippe & deducta eſt, non à ſcindendo, quod videl. animam à corpore ſcindat, ut non nemo exiſtimavit; cum hæc derivatio omni homicidio conveniat, delictumque hoc non tam per ipſum actum homicidii, quam per conventionem de futura cæde perficiatur: ſed ab Aſſaſſinis, Aſiæ quondam incolis; qui erant colluvies quædam gentis obſcuræ & perfidæ, circa 60. virorum millia, quæ in regione Eſſinorum decem omnino incolebant oppida circa Phœniciam: Hi Mahumetanis erroribus occœcati, ſanctiſſimi omnium à barbaris exiſtimabantur; nec, qua cæteri mortales honorum cupiditate ducebantur, ipſi inter ſe maxime unanimes, nulla de imperio magiſtratuve ambitione inter eos exiſtente, ſummas arbitriumque rerum non nobilitati ſanguiniq; committebant, ſed quem optimum judicabant, eum ſibi præficiebant, ſenioremque ac Arſacidam vocitabant, ejusque juſſu Magnates Chriſtianos, quos ſummo proſequebantur odio, eorum doctrinam edocti, & tales proditorie ſe ſimulantes, interimebant, etiamſi præſentiſſimum cernerent mortis periculum, & graviſſimas ſe daturos pœnas ſcirent. Nihil enim ſanctius, nihilque glorioſius, quo & immortalitatem conſequi poſſent, judicarunt, quam pro patria, Rege & Domino ſuo, ac pro religione atque ſecta, cui adhærebant, ei infenſos, adeoq;

ho-

homines Chriſtianos trucidare, eaque de cauſa mortem oppetere: uti hoc pluribus ex Paulo Æmilio Hiſtor. Francon. compilatore referunt Tiber. Decian. *tract. crimin. lib. 9. c. 30. n. 1.* Jacob. Menoch. *de arbitr. Iud. quæſt. lib. 2. cas. 360. n. 41.* Petr. Theod. *diſp. 7. Colleg. Crimin. th. 4. lit. a.* Beſold. *in Theſaur. pract. voce* Meuchelmörder. Carpz. *tract. crim. part. 1. queſt. 19. n. 1.* Hos impios impiorum Aſſaſſinorum mores cum & Chriſtiani, bannitos aliosve venalis animæ homines conducendo & præmiis invitando, imitari, (pene dixiſſem ſuperare) cœperint, tale delictum Aſſaſſinium (barbaro licet vocabulo) appellitari conſuevit. Theod. *d. l.* Carpz. *d. q. n. 2.* Quia tamen vox illa uſu jam recepta, & nobis eam retinere placet, cum fruſtra de verbis litigemus, quando de re ſubjecta conſtat.

III.

Ab hoc vocabulo, cujus originem modo explicavi, quod παρωνυμίαν ejus concernit, tanquam forma denominante deſcendit Aſſaſſinator, qui ſc. dato vel promiſſo pretio alterum interfici jubet; Aſſaſſinus, qui tale inhumanitatis officium fatis abominandum accepta vel promiſſa pecunia in ſe ſuſcipit; *cap. 1. v. cum igitur de homicidio in ſexto*, quamvis & mandans à quibusdam Aſſaſſinus vocetur. Carpz *d. q. 19. n. 5.* Aſſaſſinandus, de quo pro certa pecunia interficiendo in Aſſaſſinatorem & Aſſaſſinum fœdiſſima initur conventio.

IV.

Παρωνυμίαν excipit συνωνυμία: alio ſiquidem nomine vocatur homicidium conductitium, & qui hoc atrociſſimum delictum committunt, homicidæ ſeu ſicarii conductitii. In Germania lingua dicuntur Meuchelmörder

oder

oder Banditen. Magnificus Dn. D. Lanſius, Patronus meus honoratiſſimus, in Orat. contra Italiam *p. m. 990.* Beſold. *d. voc.* Meuchelmörder.

V.

Definitionem nominalem realis ſubſequitur definitio; quæ talis eſſe poteſt: Aſſaſſinium eſt delictum publicum, quo homicidium cum præmii oblatione mandatur, & ab altero ſuſcipitur.

VI.

Generis loco in hac definitione ponitur delictum publicum: Hanc ſiquidem conventionem æque ac ipſum homicidium recte rationi contrariam & ſua natura ac per ſe probroſam eſſe, luce meridiana clarius eſt, nec ulla indiget demonſtratione. Quamvis autem ad delicti civilis conſtitutionem etiam requiratur legis notatio atque determinatio, *l. 41. ff. d. O. & A.* & nullum factum pro civili delicto habeatur, niſi lex quoque illud ſerio taxet, puniatque. *arg. l. 14. §. 14. de relig. & ſumpt. fun. l. 3. §. 4. de ſepulch. violat. l. 12. de uſufr. legat.* Joh. Otto Tab. *Racem 1. th. 18.* Et in jure Civili textus ſpecialis, quo hoc delictum prohibeatur ac puniatur, exiſtere non videatur: attamen cum jus Civile in genere prohibeat & puniat conventiones ac mandata de committendis delictis; *l. 1. §. 13. ff. de vi & vi armat. l. 11. §. 3. ff. d. injur. l. 7. §. f. ff. de Iurisd. l. 5. C. d. accus.* & jus canonicum in ſpecie hanc conventionem ſerio prohibeat & graviter puniat, *c. pro humani. Extr. d. homic. in 6.* ipſa tanquam rectæ rationi, & juris conſtitutioni contraria, recte quoque ad civilia refertur delicta.

VII. Hoc

VII.

Hoc ipſo autem, quo Aſſaſſinium per delictum definitur, excluditur I. Mandatum Magiſtratus, quo ipſe tanquam Vicarius Dei & ſacerdos Juſtitiæ, prævia cauſæ cognitione delinquentes ob delictorum admiſſorum gravitatem ad mortem condemnat, & ſententiæ executionem, pro certa mercede Carnifici mandat. Juſtitiæ enim executio crimen in ſe habet nullum; utpote quæ fit non prohibente, ſed potius jubente ipſa recta ratione & Legis conſtitutione, vid. Carpzov. *d. prax. crim. p. 3. q. 137. num. 49. & ſeqq.*

VIII.

II. Lectio militium facta ab eo, qui jus belligerandi habet, & juſtum adverſus hoſtes ſuos intendit ſuſcipere bellum. Quanquam enim Princeps ſuperiorem non recognoſcens certos homines ad interficiendos hoſtes ſuos pacta mercede conducere videatur; quia tamen juſtum bellum omni jure, non humano ſolum, ſed & divino, non obſtantibus Anabaptiſtarum deliriis, licitum eſt atque permiſſum, ut eleganter oſtendit Bocer. p. m. Anteceſſor quondam noſtri Lycæi famigeratiſſimus, *in tr. de bell. & duell. lib. 1. c. 3. in fin.* id verò ſine conſcriptione militum expediri non poſſit, quis ſanæ mentis homo dicere auſit, vel Principem pacto certo ſalario milites conducendo peccare, vel militem ſervitia militaria, ſpe promiſſi ſtipendii pollicendo delinquere! Cum, quicquid fit approbante divina & humana lege, omnis vitii ſit expers, præcipue, quia publica utilitas, imò neceſſitas quandoque bellum & neceſſaria belli inſtrumenta, milites ſcil. expoſcat. Huc accedit, quod Princeps in ſuſcipiendo bello & eligendis militibus non tam ad internecionem hoſtium, quam ad defenſionem Religionis, pa-

triæ, &c. & obtinendam pacem, quæ finis belli eſt, reſpiciat hoc ſcopo præfixo potiri ſi poteſt, ſponte à dilaniatione hoſtium deſiſtit: Hinc captivos & in poteſtatem ſuam redactos vendere mavult quam necare, ſecundum illud:

Vendere cum poſſis captivum, occidere noli:

Vel apud nos ſublata ſervitute, lytro perſoluto juri priſtino penitus reſtituere, neque etiam in victos ulterius ſævire ſolet, ſed

Parcere proſtratis ſcit nobilis ira Leonis.

Quodque illicitum non ſit, neque Chriſtianæ Religioni contrarium, vel ex eo ſolo patet, quo ille Solis Juſtitiæ Lucifer Johannes ſui temporis milites hortatus eſt, ne cui injuriam faciant, ſed ſuo contenti ſint ſtipendio. *Luc. c. 3. v. 14.* quibus itaque proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit, militare pro ſtipendio non prohibuit: Jure noſtro Civili tantum abeſt, ut milites militando in crimen incurrant, ut potius tanquam perſonæ toti Reip. apprime utiles innumeris ab Impp. donati ſint privilegiis atque immunitatibus, de quibus paſſim in floridiſſimo illo Juſtinianeæ Juriſprudentiæ horto: *tt. ff. & C. de re milit. de Caſtr. pecul. de teſtam. milit.* & aliis quamplurimis. Quæ privilegia militibus conceſſa præter alios compilarunt Illuſtr. & Generos. Dn. Georg. Acac. ab Enenck. *in tr. ſuo abſolutis. de privil. mil.* & antea laudatus Bocer. *d. tr. lib. 1. c. 18. & ſeqq. usque ad c. 29. d. lib. 1.*

IX.

Publicum dicitur hoc delictum, quia homicidii ſpecies cenſetur. Petr. Theod. *d. diſp. th. 4.* Mandator enim cædis pro homicida habetur. *l. 15. §. 1 ff. ad* L. *Corn. de Sicar.* Unde communiter à Dd. publicis delictis annumeratur. Petr. Theod. *d. th.* Reliqua definitionis noſtræ

ſtræ verba, quibus hoc crimen ab aliis delictis publicis, imprimis verò variis homicidii ſpeciebus diſcerni poteſt, in ſubſecuturis theſibus erunt explicanda.

X.

Definitioni ſuccenturiatur Diviſio: Diſpeſci autem non incommode poteſt in verum ſeu non interpretatum, & fictum interpretatum ſeu improprium: Tiber. Decianus *d. c. 30. n. 4 & 13.* Petr. Theod. *d. th. 4. lit a. vers. tamen hoc verum.* Verum ſeu proprium voco cum infidelis, homo ſcil. extra pomœria Eccleſiæ noſtræ Chriſtianæ conſtitutus ad occidendum hominem Chriſtianum intuitu oblati præmii operam ſuam pollicetur. Et de hoc vero Aſſaſſinio loquitur ante allegatum, *c. pro humani. X. de homicid. in 6.* Quaſi vero ſeu fictum ac improprium, quodque ex interpretatione ita dicitur, eſt, cum Chriſtianus ad interficiendum hominem Chriſtianum ſpe promiſſæ mercedis conduci ſe patitur. Et ad hanc Aſſaſſinii ſpeciem *d. c. pro humani.* per interpretationem extenſivam à Dd. communiter eſt productum, *juxta l. 12. & 13. ff. d. ll.* cum par, imo major ratio militet in Chriſtiano, qui longe gravius peccat, quam infidelis, dum ſcil. hominem Chriſtianæ religioni addictum, quemque in Chriſto fratrem agnoſcere debet, ſola ſpe lucri interficere promittit. Gravius ſiquidem eſt à fratre offendi, quam ab extraneo, ne ſcil. à quo ſperari deberet auxilium, ab eo metuendus eſſet interitus. Infidelis verò magis ex præmaturo aliquo Zelo, illius, quem falſæ Religioni adhærere ſibi perſuaſum habet, internecionem, pacto pretio pollicetur, glorioſum reputans, & laude dignum alienæ factæ aſſeclas interimere, proque ſuæ Religionis defenſione præſentiſſimo mortis periculo ſe exponere. Tiber. Decian. *d. c. 30. n. 4.*

XI.

Parte generali pertractata, ordinis ratio ad ſpecialem partem me deducit: quæ duobus conſtat membris. Conſiderandum enim erit hoc delictum tum ut committendum, tum ut commiſſum. In primo membro examinandæ veniunt cauſæ; quæ vel externæ vel internæ. Externæ ſunt Efficiens & Finis. Internæ ſunt Materia & Forma.

XII.

Cauſa Efficiens eſt malitioſa voluntas & doloſum conſilium utriusque, tum Aſſaſſinatoris, tum Aſſaſſini, tertium aliquem occidendi. Dico voluntas & doloſum conſilium: Sicut enim in omni publico delicto, præcipue homicidio præciſe requiritur dolus, adeo, ut ad ordinariæ pœnæ inflictionem, nec lata culpa, quæ dolo proxima eſſe paſſim dicitur, ſufficiat: *l. 7. ff. ad. L. Corn. de Sicar.* Ita & in hoc crimine, & actu homicidii præparatorio. Quicquid enim dicitur de genere, id de omnibus ſpeciebus eidem generi ſubjectis dicitur. Cum voluntas & propoſitum delinquentis maleficia diſtinguat. *l. 53. pr. ff. d. furt.* & in delictis voluntas, non exitus ſpectetur. *l. 14. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Dico Voluntas utriusque: Perficitur enim hoc facinus per conventionem. Conventio autem ſive ea licita ſit ſive illicita, ſemper duorum aut plurium efflagitat conſenſum in idem placitum: quod vel ipſum nomen indigitat, cum ex verbi proprietate omnis conventio reſpiciat aliam perſonam, quæ nobiſcum paciſcitur atque convenit. Non itaque ſufficit unius voluntas & oblatio, ſed alterius acceptatio ut accedat neceſſe eſt; hæc ſi non interveniat, cum videlicet quis alteri pecuniam offert ad hoc, ut inimicum ſuum è medio tollat, is vero pietatis & honeſtatis

me-

memor, inhoneſtum ejusmodi officium in ſe ſuſcipere recuſat, tunc Aſſaſſinium contractum non eſt. Tiber. Decian. *d. cap. 30. num. 17.* Proſper. Farinac. *prax. crim. part. 5. q. 123. inſpect. 5. num.* 147. Idem dicendum, ſi quis ſine præcedente conſenſu, mandato aut oblatione præmii, ſolo complacendi ſtudio alterius inimicum occiderit, etiamſi forſan adeſſet aliqua præmii vel lucri ſpes, non tamen in hoc Aſſaſſinii crimen incurrit. Farinac. *d. q. 123. inſpect. 2. num. 39.*

XIII.

Cum autem voluntas in mente retenta nihil operetur. *l. 7.* ibique Gothofr. *C. d. Cond. ob caus. dat. l. 25. C. d. transact. l. 50. ff. d. cond. indeb.* & juris effectus, qui ab animo pendent, non poſſint ad ſolum animi actum conſequi, niſi is actus ſignis quibusdam externis indicatus ſit, uti eleganter diſſerit Hugo Grotius *de I. B. & P. lib. 2. c. 4. n. 3.* Idcirco ad hoc, ut delictum hoc commiſſum proprie dicatur, adeoque ordinaria poſſit coërceri pœnâ, neceſſe eſt, ut hic internus animi motus & ſceleratiſſimum hoc conſilium exteriori aliquo ſigno proditum ſit atque declaratum. Hinc ſola cogitatio, qua quis ſibi propoſuit mandare aliquem occidi, ad infligendam Aſſaſſinii pœnam non ſufficit. Gloſs. *in d. c. pro humani in verb. mandaverit. in princ. de homicid. in 6.* adeò, ut ſi quis cogitaverit de internecione inimici ſui alteri demandanda, ejusque rei gratiâ mandatarium acerſi curaverit, nec tamen, pœnitentia forſan ductus, aut alio aliquo obſtaculo præpeditus, animi ſui ſenſa explicaverit, nec quicquam tale mandaverit, perfectum non cenſetur hoc delictum, propthereaque nullus pœnæ locus erit, cum mandatum in mera mandantis cogitatione ſteterit. Farinac. *d. q. 123. inſpect. 4. num. 112.* Cogitatio-

cationis ſiquidem pœnam (in foro ſoli, ſecus in foro poli) nemo patitur. *l. 18. ff. de. pæn. cap. 14. de pænit. diſt.* 1. Nam licet Leges actionum noſtrarum moderatrices præter externam, internam quoque morum εὐταξίαν quandoque requirant. *arg. l. 2. pr. l. 4. §. 2. ff. de cond. ob turp. caus. l. 1. ff. d. calumn.* & bonum commune atque ipſum Reipublicæ decus, tales poſtulent cives, qui non tantum juſta agant, ſed & juſta velint. *arg.* §. 1. ibi: *conſtans & perpetua voluntas. inſt. de I. & I.* Quia tamen Judex non eſt cordium ſcrutator, nec internos animi motus, niſi ad externum actum pervenerint, cognoſcere poteſt; proinde ſicuti internorum illorum actuum nulla eſt cognitio & probatio, ita nulla quoque eorum datur accuſatio & condemnatio. *d. l. 18. ff. d. pæn.* Hahn. *ad w. Wes. d. t. d. l. & l. n. 4 §. tantum. p.* 12. & 13. & cum non appareant, pro iisdem habentur, ac ſi non eſſent. *l. 77. ff. d. C. E.* Hinc Gellius *lib. 7. c. 3. noct. attic.* ſcribit: *in judicium facta non voluntates vocari.* Huc quadrat & illud vulgatum: *de occultis non judicat Eccleſia.*

XIV.

E dictis ſua ſponte fluit, quod ſicuti utriusque, ut dictum, voluntas ad conſciſcendum hoc ſcelus eſt neceſſaria: ita & ab utroque ſcil. non tantum à locatore, ſed & conductore ut voluntas hæc declaretur, neceſſe ſit. Licet enim Aſſaſſinator ſuum impiæ mentis manifeſtaverit decretum, Aſſaſſinus quoque exinde cupiditate quadam ad perpetrandum hoc facinus in mente ſua alliciatur, metu tamen, pœnitentia, aut alia ratione impeditus propoſitum hoc in mente retineat, ipſe hujus delicti reus, per rationes præced. th. adductas, cenſeri non poteſt: Verbis vero id fiat, ſive factis, ſive quocunque alio ſigno, nihil refert! v. gr. ſi Aſſaſſinus pecu-

niam

niani hac lege, ut Titium interficiat, ſibi oblatam acciperet, quin hoc ipſo ejus voluntas ad hoc delictum neceſſaria ſatis videatur declarata, nullus dubito. Cum plus ſit factis demonſtrare, quam verbis dicere. *l. 48. §. 3. d. ædil. edict.* Andr. Tiraquell *de nobil. cap. 6. n. 9. vers. ex quo notat gl.* & facta ad voluntatem declarandam plus ponderis habere dicantur, quam verba. Jacob. Thoming. *decis. 44.*

XV.

Sufficit autem ad hoc delictum perficiendum voluntas dictis modis declarata, & conventio de tali homicidio committendo inita; etiamſi ejus executio nondum fuerit ſecuta, *d. c. pro humani.* ibi: *vel etiam mandaverit, quanquam mors ex hoc forſitan non ſequatur. de homicid. in 6. ubi gloſſ.* ipſa ſcilicet turpis atque fœda conventio de homine Chriſtiano, pro quo mundi Redemptor ipſe ſanguinem ſuum effudit, quique circumfert imaginem æterni Creatoris, proditorie occidendo damnata eſt, & graviſſimis pœnis coërcenda: Carpz. *p. 4. conſt. 6. d. f. n. 4.* Quo ſpectat, quod Oratorum Princeps *in Orat. pro Milone: Non exitus,* inquit, *rerum, ſed hominum conſilia legibus vindicantur.* Nec minus appoſite Seneca *lib. 5. de benef. c. 14. Latro eſt,* ait, *etiam antequam manus inquinet, quia ad occidendum jam armatus eſt, & habet ſpoliandi atque interficiendi voluntatem.* Nec eſt, quod quis dicat, ſolum conatum, utpote, qui imperfectum conſtituat delictum, ſi eventus voto non reſponderit, extraordinariam ſaltem commereri pœnam, nec puniendum affectum, ſi non ſecutus fuerit effectus. Nam præterquam quod hæc Regula ſæpiſſime officium ſuum perdat, multasque, uti loqui amant, habeat fallentias atq; limitationes, veluti in Crimine Læſæ Majeſtatis. *l. 5. pr.*

ibi:

ibi: *eadem enim ſeveritate voluntatem ſceleris. C. ad L. Iul. Maj. Conſt. Carol. IV. in aurea bulla. c. 24.* item quandoque in homicidio. *l. 1. §. 3. ff. l. 7. C. ad L. Corn. de Sicar.* doloſa ſervi corruptione. *§. 8. I. de obl. quæ ex delict. naſc. l. 20. C. de furt. & ſerv. corrupt.* dicta conventio non eſt attentatum, ſed perfectum delictum, quando enim interius animi conſilium per exterius corporis ſignum eſt declaratum, & ab una parte præmium, ab altera vero homicidium promiſſum, non poteſt dici attentatum modo, ſed perfectum eſt Aſſaſſinium, ut proxime oſtenſum. Carpzov. *Iur. Forens. d. def. fin. numer. 4.* Paul. Merenda. *cons. 50. num.* 11. ubi recenſet caſum, qui Anno Orbis redempti 1505. contigit. Nobilis quidam ex Ariminulſorum proſapia natus, duos Aſſaſſinos, ſingulis centum ducatos promittendo conduxit, ut occiderent fœminam quandam Suſannam de Burris, quæ fuerat uxor Domini Auguſtini Trivultii, qui licet tentaſſent pluries illam occidere, & nullo modo ad actum perveniſſent, fuerunt tamen condemnati ad mortem, ut ſc. unus ex illis Aſſaſſinis ad dextram, alter vero ad ſiniſtram, Aſſaſſinator vero in medio ſuſpenderetur, quæ ipſa feralis ſententia executioni poſtmodum mandata fuit.

XVI.

Cauſa impulſiva, quoad Aſſaſſinatorem pro variis hominum voluntatibus, *l. 4. ff. ad Sct. Treb.* varia eſſe poteſt. Eum enim ad hoc deteſtandum facinus impellit vel capitalis aliqua inimicitia, & vindictæ cupiditas, nam

Eſt vindicta bonum vita jucundius ipſa.

vel ambitio, & ad ſublimiora Reipubl. gubernandæ munera aſpirandi libido, vel cupiditas potiendi bonis Aſſaſſinandi, vel denique invidia aut æmulatio, ob præclara vel animi, vel corporis, vel fortunæ dona, quibus Aſſaſſi-

ſaſſinandus forſan præ aliis dotatus eſt. Aſſaſſinum vero ad tam immane & truculentiſſimum, homine Chriſtiano indigniſſimum ſcelus, ut plurimum incitat & invitat, illa mala omnis mali radix, quæ

- - - - - - - Nil non mortalia cogit
Pectora - - - - - - -

Auri ſcil. ſacra fames.

XVII.

Finis hujus delicti eſt, reſpectu Aſſaſſinatoris, ut is, quem necatum cupit, è medio tollatur, & lucis hujus uſura privetur, & peſſimum huncce finem, quem ſub ratione boni appetit, ut conſequatur, opera Aſſaſſini, tanquam medio & inſtrumento rationis partice, in quo tamen recta ratio exulat, utitur. Reſpectu vero Aſſaſſini eſt, ut hoc inito pacto pecuniam ſibi acquirat, non curans ſive per fas ſive per nefas id ipſum fiat.

XVIII.

Materia eſt vel Subjectiva vel Objectiva. Subjectum conſiderari poteſt vel in genere, vel quoad antea enumeratas Aſſaſſini ſpecies. In genere ſubjectum ſi inveſtigetur, duas in eo reperire licet perſonas, 1. Aſſaſſinatorem. 2. Aſſaſſinum. Aſſaſſinator dicitur, qui homicidium alteri cum oblatione præmii mandat. Aſſaſſinus vero, qui tale mandatum pacta mercede in ſe ſuſcipit. Mandare autem homicidium cum oblatione pretii & mandatum ſuſcipere, & exinde ad pœnam commeritam obligari poſſunt omnes, qui ex delictis aliis, præcipue vero ex homicidio doloſo, obligari poſſunt; quales ſunt illi, qui doli ſunt capaces, rationis uſu pollent, adeo ut illud, quod agunt, intelligant. Hinc propter defectum uſus rationis excluduntur Infantes, ſcil. qui ſeptennio adhuc ſunt minores, hic enim termi-

C nus

nus Infantiæ in jure eſt definitus. *l. 18. C. d. Iur. delib. l. 14. ff. d. Spons. l. 1. §. 2. ff. d. Admin. Tut.* Menoch. *d. tr. d. A. I. Q. lib. 2. cas. 57. n. 9.* & tales ex delictis non obligantur, nec pœnam aliquam incurrunt, cum eos excuſet & tueatur conſilii innocentia, *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* & ætatis imbecillitas, ob quam nec ſatis intelligunt, quid agant. *l. 1. fere in fin. C. d. fals. monet.* Hinc in parvulis nulla culpa deprehendi dicitur *in l. pen. in fin. ff. de fideicommiſſ. libert.* Ac quamvis in nonnullis infantibus malitia ætatem ſuppleat, ita ut quandoque adultioribus ſint callidiores, eosq; vaferrime norint decipere, quemadmodum Jodocus Damhuod. *prax. crim. c. 84. num. 4. & ſeqq.* teſtatur, ſuo tempore infantes ſexto ætatis anno nequiores fuiſſe, quam prioribus temporibus anno decimo quinto; allegans ſimul horrendam auditu hiſtoriam, de puero quinque annorum, qui à Diabolo, propter crebras & aſſiduas, quas evomebat, blaſphemias, è manibus paternis, inaudito exemplo, ereptus eſt. Ea tamen, quæ raro, & præter regularem & ordinarium naturæ curſum eveniunt, ad exemplum & conſequentiam trahenda non ſunt; *l. 3. & ll. ſeqq. ff. de. LL.* nec propterea ſtatuendum, omnes infantes doli capaces, & proinde pœna quoque afficiendos eſſe. Allatum Exemplum quod concernit, quo nonnulli in contrariam moventur ſententiam, mihi videtur, id in odium atque pœnam patris ad hoc ſcelus conniventis nec puerulum coërcentis factum potius, quam ipſius infantis, qui dolo carebat, cum Carpz. *d. tr. crim. p. 3. q. 143. n. 13. & 14.* Quando autem dicitur infantes à pœna immunes eſſe debere, id intelligendum de pœna judiciali & legali, non vero extrajudiciali, ſcil. caſtigatione parentum. Quod ſi enim Parentes ſceleratum quid moliri intelligant

gant liberos ſuos, privatim eos virgis & verberibus caſtigare & coërcere jure poſſunt, imo debent. Carpzov. *d. qu. 143. num. 18.*

XIX.

Impuberes tamen pubertati, (quæ in materia Criminalium in fœminis æque ac in maſculis, Anno 14to expleto æſtimatur *art. 164. Ord. Crim.* Carpz. *d. qu. 143. n. 26. & ſeqq.*) proximi, quia doli ſunt capaces. *l. 111. ff. de R. I* §. *9. l. d. Inutil. ſtipul.* & delinquere & delinquendo obligari poſſunt. *l. 23. ff. d. furt. l. 5.* §. *2. ad L. Aquil.* Sicut autem in aliis delictis mitius cum iis agitur. Carpz. *d. q. num. 21.* ita & in hoc crimine, non ordinaria, ſed extraordinaria à judice determinanda afficiuntur pœna: niſi quam proxime accedant ad pubertatem, & ſupina adſit malitia, quæ ætatis defectum ſuppleat, nec ulla correctionis ſpes adſit, tunc enim quin propter enormitatem hujus atrociſſimi ſceleris ipſis ordinaria dictanda ſit pœna, nullus dubito, motus argum. eorum, quæ Nemeſis Carolina *d. artic. 164.* de furibus impuberibus diſpoſuit, quibus Aſſaſſini longe ſunt deteriores, Carpz. *d. q. n. 48.*

XX.

Minores autem ſecundæ ætatis, qui ſcil. pubertatem expleverunt, nondum vero majorennitatem, regulariter, ſolo minorennitatis prætextu, in hoc tam infando & nefando crimine excuſationem merentur nullam, *l. 37.* §. *1. vers. & cum neque in delictis. ff. d. minor.* per ea, quæ late tradit ſæpe laudatus Carpz. *d. q. 143. n. 59. & ſeqq.* ubi id ipſum *n. 71. & ſeqq.* multis confirmat præjudiciis. Niſi forſan juſta adſit cauſa, quæ pœnæ mitigationem ſuadeat: *d. l. 37.* §. 1. *vers. in delictis.* veluti; quod delinquens nuper factus ſit pubes, aliove modo ſupi-

nam malitiam ſi purgaverit, tunc enim remiſſa ordinaria, alia extraordinaria pœna ſubſtitui poteſt. Carpzov. *d. q. num. 80. & 81.*

XXI.

Quæ ſuperius dicta ſunt de Infante, multo magis procedunt in furioſo & mente capto. Diſtinguunt quidem alias Dd. communiter furioſum, à mente capto, quod ille evidenti rabie, motuque furoris agitetur, adeoque animi male affecti extrinſecus expreſſa indicia edat ac oſtendat: hic vero magis in quiete ſit, & ſine rabie lumine mentis deſtituatur, nullumque offendat, ſicut & ipſæ leges illos interdum ſeparant: *l. 25. Cod. de Nupt. l. 2. ff. d. Inoff. teſt. l. 28. C. d. Epiſc. aud. §. 3 junct. §. 4. l. d. curat.* verum cum uterque intellectu ac προαιρέσει careat, utrumque deſtituat mentis ſanitas, ſeu (ut illud ſuum nobis largiatur Paulus JCtus ex *l. 2. ff. de proc.*) utrique animus deſit, merito una opera utrumque à ſubjecto delicti noſtri excludimus: ita ut ex hoc delicto neuter ad pœnam obligari poſſit, ſed potius infelicitate fati excuſari debeat. *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quod enim factum à furioſo, perinde habendum eſt ac ſi caſu aliquo, ſine facto perſonæ accidiſſet. *l. f. in fin. ff. d. adm. tut.* vel ac ſi quadrupes feciſſet. *l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Menoch. *d. lib. 2. d. A. I. Q. c. 325 n. 2. & 3.* Et hoc in tantum procedit, ut nec extraordinaria pœna affici, vel recedente furore puniri poſſit. Menoch. *d. c. n. 8.* Petr. Theod. *Colleg. crim. diſp. 10. th. 4. lit. h.* Damhuod. *prax. crim. c. 84. n. 7. & 8.* Jul. Clar. *lib. 5. ſent. recept. §. f. n. 7.* Carpz. *p. 3. qu. 145. per tot.*

XXII.

Furioſo paſſim in jure noſtro comparantur prodigi. *l. 40. ff. de Reg. Iur. l. 1. ff. de curat. fur.* verum cum hæc

com-

comparatio manifeſte reſtringatur ad actus, adminiſtrationem bonorum qui reſpiciunt ; in quibus prodigus ſine Curatoris conſenſu non plus juris, nec majorem diſponendi facultatem habet, quam impubes aut furioſus. *l. 12. §. f. ibi ; quoad bona. ff. d. tut. & curat. dat.* & proinde in delictis plane non excuſet ; Everhard. *in top. legal. in loc. à minor. ad furios. &c. fere in fin.* Theodor. *d. Colleg. crim. diſp* 1. *th. 25. lit. b.* Clar. *lib. 5. recept. ſent. quæſt. 60. num.* 11. Carpz. *p. 3. qu. 118. num. 27. & 28.* Ludwell. *diſp. ad Inſt. 15. th. 6. lit. b.* nullum dubium eſt, quin prodigus data pecunia homicidam conducens, ordinaria ſit afficiendus pœna.

XXIII.

Sequeſtratis ergo modo recenſitis perſonis, reliqui omnes hujus atrociſſimi criminis rei fieri poſſunt, cujuscunque ſint ſexus. Non enim ſolum maſculi, ſed & fœminæ hoc delictum committentes ordinariam luere debent pœnam ; tum propter rationis identitatem, quæ idem jus facit ; *l. 32. ad L. Aquil.* tum etiam propter criminis atrocitatem atque enormitatem, quæ veniam non meretur. Neque enim muliebris ſexus fragilitas, à pœnis ordinariis regulariter fœminas excuſat, niſi in certis à jure expreſſis caſibus. Nam & in fœminis malignitas animi & improbum conſilium eſt, quod legum pœnis coërceri debet, ne in publicum erumpat malum. Theod. *d. diſp.* 1. *thes. 25. lit. b.* Carpzov. *d. tr. crim. p. 1. qu. 38. num. 21.* Nihil etiam intereſt, cujuscunque gradus vel dignitatis exiſtat is, qui alterum occidi mandat, vel tale mandatum ſuſcipit. Cum tam is, qui in dignitate conſtitutus eſt, quam plebejus ob admiſſum delictum commeritæ pœnæ ſubjaceat ; *l. 10. §. f. d. pœn.* ſeu ſecularis ſit perſona, ſeu Eccleſiaſtica, licet etiam prælatura

cura fungatur, aut Epiſcopali vel Archi-Epiſcopali dignitati fulgeat. *d. c. pro humani. §. ſacri.* ibi: *Prælatus ſeu quavis alia Eccleſiaſtica ſecularisve perſona. d. homicid. in 6.* Farin. *d. l. n. 24. & 25.* Domin. Cardin. Tuſchus *pract. concl. lit. A. concl. 531. n. 4.*

XXIV.

Conſideravi Subjectum hujus delicti in genere, conſiderandum ergo nunc in ſpecie. Dictum ſuperius in th. 10. duas Aſſaſſinii ſpecies eſſe, verum & fictum, & quid utrumque ſit, explicatum. Subjectum autem veri Aſſaſſinii conſtituit perſona infidelis, quæ ſc. extra Eccleſiæ Chriſtianæ fines exiſtit, & ſacri Baptiſmi plane expers eſt; cujusmodi fuere Aſſaſſini, populi de quibus ſupr. th. 2. quique occaſionem præbuerunt *ſæpe allegat. c. pro humani.* Ficti vero ſeu interpretati Aſſaſſinii ſubjectum eſt homo, qui Chriſto per baptiſmum eſt inſertus, & Chriſtianus audire vult. Quanquam enim nonnulli nomen Aſſaſſinii locale eſſe exiſtiment, ita ut ad certi loci homines ſit reſtringendum, quibus favere videtur *ſæp. d. c. pro humani.* quod ſaltem de Aſſaſſinis loquitur, rectius tamen Dd. communiter per interpretationem extenderunt *d. c.* ad Chriſtianos, ita ut non minus Aſſaſſinator dici & pœnam huic delicto præſtitutam luere mereatur, qui Chriſtianum, quam qui infidelem ad hoc impium opus conducit, & Chriſtianus tam inhoneſtum officium ſuſcipiens æque ac infidelis ſit Aſſaſſinus, Aſſaſſiniique pœnas luere debeat, per ea quæ, ſutpr. thes. 10. dicta ſunt. Cardin. Tuſchus *d. concl. 531. num. 3.* Farinac. *d. q. 123. num. 22. & 23.* Tiber. Decian. *d. cap. 30. num. 4.* Carpz. *d. p. 1. quæſt. 19. num. 4.* Et hæc de Subjecto.

XXV. Ob-

XXV.

Objectum hujus Criminis conſtituit ipſa perſona interficienda, & de qua per hoc delictum præter ſuum meritum per inſidias injuſte vita ſua ſpolianda agitur. Non tamen quivis homo, cujuscunque ſit Religionis, Objectum hujus delicti conſtituit, ſed præciſe neceſſe eſt, ut ſit homo Chriſtianus, *d. c. pro humani.* ibi: *quempiam Chriſtianorum. ubi gloſſ.* Jul. Clar. *lib. 5. §. Aſſaſſinium. num. 2.* adeo, ut ſi de hac qualitate non conſtet, pœna Aſſaſſinii locum non habeat, Clar. *d. l.* Tuſchus *d. l. concl. 531. n. 4.* Si tamen in territorio Chriſtianorum occiſus quis reperiatur, in dubio Chriſtianus præſumitur, Clar. *d. l.* & Bájard. *in not. ad d. §. Aſſaſſinium. n. 14. 15. & 16.* Quæ tamen præſumptio ceſſat, ſi occiſus repertus ſit circumciſus, utut territorium ſit Chriſtianorum. Hæc enim ex circumciſione deſumpta præſumptio tanquam fortior priorem elidit, eique tamdiu ſtandum, donec ab aſſerente contrarium probetur. Maſcard. *d. prob. vol. 1. concl. 138. n. 14.*

XXVI.

Forma, per quam Aſſaſſinium eſt, quod eſt, & ab aliis cognatis delictis diſcernitur, partim dependet à ſine, partim ab objecto, & conſiſtit in conventione de interficiendo homine Chriſtiano pro certa aliqua mercede. Duo itaque ratione formæ, ut Aſſaſſinium commiſſum dicatur, requiruntur. I. Neceſſe eſt, ut conventio ineatur de interficiendo aliquo homine Chriſtiano. Nam ſi conventio inita & pecunia data vel promiſſa fuerit ad vulnerandum & percutiendum aliquem, aut quid ſimile. Aſſaſſinium

com-

commiſſum dici nequit; quanquam delictum illud, per interventum pecuniæ aggravetur, uti tradit Farin. *ſæpe allegata quæſt. 123. num. 139.* Decian. *d. l. num. 41.* Requiritur inſuper, ut pecunia detur ad occidendum aliquem immediate, ſecus eſt, ſi tale mandatum non directo tendat ad occidendum, ſed ad aliquid aliud, ex quo mors ſequi poteſt; veluti, ſi quis teſtem contra aliquem in cauſa capitali depoſiturum data pecunia corruperit, ut contra ipſum Reum teſtaretur, ex quo de vita periclitaretur, atque in præſentiſſimum vitæ diſcrimen conjiceretur, Aſſaſſinium proprie non dicitur, docente Farinac. *d. q. n. 145.*

XXVII.

II. Ut pecunia ſeu merces interveniat, forma hujus delicti efflagitat. Vocabulum autem pecuniæ triplicem in Jure noſtro admittit ſignificationem. Accipitur enim *1 ſtrictiſſime*, pro nummis, ſeu numerato ære, auro, argento: ut in Scto Macedoniano. *l. 7. §. 3. ff. ad Sct. Maced.* Gœdd *ad l. 4. n. f. ff. de V. S.* *2. Stricte*, pro rebus fungibilibus, quæ numero, pondere & menſura conſtant. *l. 2. §. 3. ff. d. R. C. l. 30. pr. ff. d. Leg. 1. l. 2. pr. & §. 1. C. de conſt. pecun.* Ludwell. *Exerc. ad Inſt.* 11. *th. 1. lit. d. in fin.* *3. Late*, pro omnibus rebus in commercio & patrimonio exiſtentibus, ita, ut non tantum res mobiles, ſed immobiles ſignificet; neque ſolum ſpecies & corpora, verum etiam jura & univerſitatem ſuo ambitu complectatur. *l. 4. l. 5. l. 53. pr. l. 178. l. 222. ff. d. V. S.* Carpz. *Iurispr. For. p. 3. c. 13. def. 34. n 3.* Quæritur ergo, quæ in ſignificatione vocabulum pecuniæ hoc in loco accipiatur? Reſp. in poſtrema, ſiquidem *in ſæpe cit. c. pro humani. X. d. homicid. in 6.* ubi de Aſſaſſinio agitur, non

præ-

ciſe requiritur numerata pecunia, neque *d. c.* ejus mentionem facit, ſed ſimpliciter pœnam dictat iis, qui mortem aliorum conſtituta aliqua mercede procurant, nec ullibi reperitur conſtitutum, quod pecunia numerata neceſſario intervenire debeat. Huc accedit, quod hoc crimen latrocinio æquiparetur, & pœna quoque latrocinii hodie Aſſaſſino imponatur, idque propter ſpem lucri, quod ex alterius cæde ſperatur. At latrocinium commiſſum dicitur, & pœna latrocinii locum habet, licet latro non numeratam pecuniam, ſed quamcunque aliam rem rapuerit, *ſecund. Conſt. Crim. Carol. art. 130.* Ergo idem dicendum de Aſſaſſinio, cum ſimilium idem ſit jus, quoties nulla genuina diverſitatis ratio dari poteſt. Carpz. *prax. Crim. p. 3. q. 19. n. 35. & ſeqq.* Farin. *d. quæſt. num. 41.* qui *ſeq. num.* 45. ad Aſſaſſinium ſufficere exiſtimat, ſi quis locatori in caſum futuri homicidii filiam vel ſororem promittat, ſeſe illam Aſſaſſino in uxorem daturum.

XXVIII

Nec refert, an præmium vel alia res alterius occidendi cauſa data, magni aut parvi ſit pretii. Nam & ob minimam mercedem alterum interficere qui promittit, ordinariam Aſſaſſinii pœnam incurrit, cum & latrocinium, cui Aſſaſſinium in hoc tertio maxime convenit, etiam in re minima perpetretur: & non tam ad quantitatem lucri, quam ad homicidium lucri gratia committendum reſpiciatur. Imo gravius peccare videtur is, qui ob minimum aliquod lucellum tantum ſcelus perpetrare audet. Farin. *d. q. n. 40. & ſeqq.* Sufficit etiam ſi incertum quid ſit promiſſum. Ant. Gabriel. *l. 7. concl. 1. num. 3.*

XXIX.

Denique nihil intereſt, ſive jam realiter numerata fuerit pecunia, ſive ſolum promiſſa. Sola enim promisſio pecuniæ & nuda conventio de occidendo aliquo efficit Aſſaſſinium, licet numeratio & traditio nondum fuerit ſubſecuta, ſufficit ergo ſpes lucri, quæ delictum aggravat. *arg. l. Cicero.39. ff. d. pæn.* Jodoc. Damhoud. *pr. Crim. c. 83. n. 6.* licet illa promiſſio facta ſit ſine ſcriptura, vel alia cautela. Farin. *d. q. 123. n. 36. & 37.* Carpz. *I. F. p. 4. c. 6. d. ult. & tr. crim. ſap d. q. 19. n. 44. & ſeqq.*

XXX

Ex dictis & deductis ſatis luculenter apparet, quod is, qui non data vel promiſſa pecunia, ſola ſpe futuræ ſucceſſionis, vel animo lucrandi litem, quam cum occiſo habet, aliquem interfecit. Aſſaſſinus dici non posſit. Farin. *d. q.* 123. *n.* 160. Nec non, quod Aſſaſſinium & illud appellari nequeat, ſi quis alterum occidi ſolum mandaverit, nihil vero hoc nomine promiſerit, etiamſi mandatarius hoc mandatum poſtea executus fuerit; adeoque mandatum homicidium & homicidium conductitium differant. Et hæc de Aſſaſſinio committendo.

XXXI.

Quoad Aſſaſſinium commiſſum conſiderandum erit, quibus pœnis id coërceatur. Cum autem hoc crimen ſit crudele, execrabile & horrendum, ac ſimplici homicidio longe atrocius, *d. c. 1. de homicid. in 6.* atrociorem quoque meretur pœnam, prout expoſcunt Juſtitiæ commutativæ leges, quæ ſemper inter delictum ac pœnam arithmeticam proportionem eſſe volunt. Certa vero hujus criminis pœna neque Jure Civili, cui hoc delictum eſt incognitum, neque ordinatione Caroli V. criminali eſt definita & determinata. In Jure Canonico

ab

ab Innocentio IV. Pontifice ſancitum eſt, ut peſſimi illi capitum licitatores diffidati ſint in toto Orbe Chriſtiano, ita ut à quocunque privato impune, ubicunque reperiuntur, occidi poſſint. *d. c. pro humani. X. de homicid. in 6.* Tiber. Decian. *d. c. 30. n. 7.* Farin. *d. q. 123. inſpect. 1. n. 8.* Paulus Merenda. *cons. crim. divers. 88. tom. 2. n. 3.* Petr. Theod. *in Colleg. Crim. diſp. 7. th. 6. lit. d.* ita ut & in foro conſcientiæ tutus credatur, qui Aſſaſſinum è medio tollit, modo id non privato odio aut vindictæ cupiditate abreptus, ſed juſto Zelo incenſus ea intentione id faciat, ne perditus iſte homo aliis nocere poſſit. Decian. *d. c. 30. n. 20.* Atque hæc diffidatio non ſolum perſonam, ſed & bona ſceleratiſſimi Aſſaſſinatoris afficit, ita ut illa cuilibet occupanti concedantur. *d. c. pro humani. vers. ſit etiam cum bonis ſuis mundanis.* Farin. *d. l. n. 9.* Decian. *d. l. n. 32.* & à fiſco quoque apprehendi poſſint. Dec. *d. num. 32.* Privatur inſuper non acquiſitis ſolum, ſed acquirendis bonis, hereditas enim ſi qua ipſi vel ex diſpoſitione hominis, vel Legis defertur, propter enormitatem commiſſi ſceleris iterum aufertur, &, non quidem fiſco, ſed proximioribus heredibus offertur. Decian. *d. l. n. fin.*

XXXII.

Præterea ſecundum dictam Juris Canonici ſanctionem, ſpirituales quoque, excommunicationis ſc. ſentire debet pœnas, hoc crimine qui ſe adſtringit. *d. c. pro humani. §. ſacri. verb. excommunicationis* Farin. *d. q n.* 11. indignus enim eſt Chriſtianorum conſortio, qui eorundem infenſiſſimum hoſtem tam execrabili facto ſe declarat, merito itaque detruncandum & enſe recidendum hoc putridum membrum

- - - - ne pars ſyncera trahatur.

XXXIII.

Porro in odium atrociſſimi hujus ſceleris dicto Jure inſuper conſtitutum eſt, ut Aſſaſſinator omni honore, dignitate atque officio exuatur, & ſi Clericus fuerit, omne privilegium Clericale amittat, adeoque à Judice Laico rapi poſſit ad commeritum ſupplicium absque prævia degradatione. *d. c. pro humani.* Decian. *d. c. 30. num. 21.* Farin. *d. l. num.* 12. *&* 13. Theodor. *d. diſp. 7. th. 6. lit. d.*

XXXIV.

Et in has pœnas reus Aſſaſſinii incurrit ipſo jure, ita ut non opus ſit ſententia aliqua condemnatoria, ſed ſaltem declaratoria. *d. c. pro humani.* ibi: *nullatenus alia excommunicationis ſeu diffidationis adverſus eum ſententia requiratur.* Farin. *d. l. n. 15.* Card. Tuſchus *in concl. pract. voc. Aſſaſſinium. num. 39.* Nec refert, ſive homicidium promiſſum fuerit ſecutum ſive non. *d. c. 1. d. homic. in 6.* Denique neque aſylorum maxima immunitas, immunitatem à commerita pœna ipſis præſtabit; ſed ſi ad ædes ſacras irrumpere tentaverint impunitatis inveniendæ gratia, prohibendi ſunt nec admittendi: ſin autem jam ſurrepſerint, extrahi & ad ſupplicium commeritum rapi poſſunt, hoc addito præconio: hominibus nefariis in fano jus aſyli non deberi. *arg. N. 17. c. 7. in princ.* ubi Juſtinianus homicidas à ſecuritate aſylorum optimo jure excludit. Homicidæ autem, ut eleganter inquit ſapiens ille Judæorum Rabbinus Philo, cenſendi ſunt, non ſolum, qui interimunt, ſed etiam, qui nihil non conantur, clamque palamque, ut interficiant, etiamſi non perpetraverint facinus: Et quod Aſſaſſini licite poſſint ſine metu pœnæ à Judice etiam ſeculari extrahi, docent Decian. *d. l. num. 12.* Tuſch. *d. l. num. 38.* Jul. Clar. *lib. 5.*

ſent.

ſent. §. *Aſſaſinium. n. 5.* Hunnius *in Colleg. Crim. diſp. 7. th. 36. in med.* Aſyla ſiquidem habere & erigere licet, ut innocentibus adverſus vim potentiorum aut iram iniqui judicis tutum præbeant hoſpitium, non vero ut doloſe & nequiter delinquentibus unquam præſtent immunitatem, ut erudite diſſerit Magnificus Dn. Lanſius, Fautor meus omni honoris cultu jugiter proſequendus, *in diſſert. d. LL. coroll. 39.*

XXXV.

Hactenus enumeratas pœnas Pontifex etiam extendit ad receptatores Aſſaſſinatorum. *d. c.* 1. ibi: *aut eos receptaverit vel defenderit ſeu occultaverit.* Farin. *d. q. 123. inſpect. 2. n. 29.* Jodoc. Damhoud. *prax. Crim. c. 83. numer. 6. & 7.* Peſſimum ſiquidem genus eſt receptatorum, ſine quibus nemo diu latere poteſt. *l. 1. ff. d. recept.* Et quanquam Weſenb. *in princ. d. t.* ibique Hahn. *in not. &* Carpz. *tr. crim. p. 3. q. 134. n. 40. & ſeqq.* aliis in delictis diſtinguant inter nudos & ſimplices receptatores, & qui ſimul ſunt ſocii criminis, ita ut illos extraordinaria mitiori, hos vero eadem pœna afficiendos eſſe aſſerant; hanc tamen diſtinctionem criminis enormitas, & *d. c. pro humani.* non diſtinguentis generalitas in hoc delicto admittere non videtur. *arg. l. 1. ff. d. legat. præſtand. l. 8. ff. de public. in rem act.* quin tamen illi, qui cognatos, aut alias perſonas conjunctas occultant, lenius ſint plectendi, nullus dubito, *per l. 2. ff. d. Recept.* & ea, quæ habet Wes. *d l. n. 2.* Carpz. *d. q.* 134. *n. 48. & ſeqq.* Jacob. Menoch. *de arbitr. iud. qu. lib. 2. cas. 348. n. 7. & ſeqq.*

XXXVI.

Quod de receptatoribus dictum, illud multo magis locum inveniet in Auxiliatoribus. Si enim receptatores, qui poſt perpetratum delictum auxilium præſtant

ad evitandam pœnam Aſſaſinio præſtitutam, pariter ac ipſi Aſſaſſinatores ſunt plectendi: multo magis eandem pœnam ſubire cogentur illi, qui in ipſo actu ad conſummandum delictum opem ferre non dubitarunt. Farin. *d. q. n. 33.* Petr. Theod. *d. thes. 6. lit. d.* ubi hoc ipſum præjudicio illuſtrat. Cum alias regulariter, qui auxilium & opem in delicto aliquo ex propoſito & præcedente tractatione præſtat, pœna iſtius delicti ordinaria teneatur, per ea, quæ late tradit & ad latrocinium, cui præſens crimen, ut ſæpe dixi, eſt ſimilimum, applicat, & aliquot præjudiciis confirmat Carpz. *d. prax. crim. p. 1. qu. 22. n. 30. & mult. ſeqq.* niſi forſan is, qui auxilium præſtitit, probabiliter ignoraverit, quod inter mandantem & mandatarium pecunia intervenerit: tunc enim, quia præcipuam Aſſaſſinii qualitatem incognitam habuit, tanquam Aſſaſſinator puniri nequit. Bajard. *ad Iul. Clar. §. Aſſaſſinium. n. 19.*

XXXVII.

Quamvis vero *d. c 1. de homic. in 6.* tantum de Aſſaſſinatore loquatur, & non de Aſſaſſino, communiter tamen Dd. dictum cap. etiam ad hunc extendunt, & ejus diſpoſitionem etiam in Aſſaſſino locum habere ſtatuunt. Gloſs. *in d. c. 1. in verb. pro humani in fin.* Carpz *tr crim. p. 1. quæſt. 10. num. 5.* Gabriel. *lib. 7. concl. 1. n. 32.* Deinde loquitur Pontifex *in d. c* 1. de vero Aſſaſſinio, & non de interpretato: in quo an illa diſpoſitio per omnia locum habeat, & quomodo hoc ipſum puniatur, non omnium eadem eſt ſententia. Poſt alios negativam defendit Carpz. *d. qu. 19. n. 56. & ſeqq.* Unde etiam hoc fictum vel interpretatum Aſſaſſinium hodie diverſis in locis diverſis coërcetur pœnis, adeo ut difficile ſit, de hujus pœna certi quid definire. Quibusdam in locis hu-

jus criminis rei ultra gladii pœnam prius ad locum ſupplicii pertrahuntur per caudam equi; vel rota tunduntur; vel in partes ſcinduntur, &c. Gabriel. *lib.7.concl.1. num.35.* Clar. *in pract. crim.* §. *Aſſaſſinium. n.4.* Theod. *in Colleg. Crimin. diſp.7. th.6. lit.d.* Decian. *tr. Crimin. lib.9.c.30.num.31.* In Foro Saxonico aliter Aſſaſſinator, nim. gladio, ita ut poſtea corpus ejus rotæ imponatur, aliter Aſſaſſinus punitur, rotæ ſcil. ſupplicio, Carpzov. *d.q.19.num.19. & ſeqq.* adeo ut in coërcendo hoc crimine ad cujuscunque regionis conſuetudinem maximopere ſit reſpiciendum. Cæterum ſi de parentibus occidendis pacta pecunia conventum fuerit, uterque pœna parricidii punitur. Carpz. *l.F. p.4. C.6.d.9. & d. q.19.n.28. & ſeqq.*

XXXVIII.

An autem ultimum ſupplicium etiam in hoc interpretato Aſſaſſinio locum habeat, ſi homicidium non fuerit ſecutum, de eo non omnium eadem eſt ſententia, uti videre licet apud Carpzov. *d.q.19. num.52. & ſeqq.* ubi ipſe cum Menoch. Carrer. Covarr. Gabriel. & Decian. diſtinguit, an Aſſaſſinus pervenerit ad actum homicidii proximum, an vero non: Priori in caſu affirmativam, poſteriore vero in caſu negativam defendit ſententiam, ſtatuens in hoc caſu Aſſaſſinium tantum arbitraria pœna pro arbitrio judicis vindicandum eſſe, v.g. condemnatione ad triremes. Gramm. *vot. 20.* item fuſtigatione; quæ in Foro Saxon. ſemper cum perpetua relegatione eſt conjuncta, teſte Carpzov. *tr.crim part.3.quæſt.129. num.17. & ſeq.* quod tamen non obſervatur in hoc Ducatu Würtembergico, ubi virgis cæſi non ſemper in perpetuum exilium mittuntur, ſed interdum tantum ad certum tempus relegantur, uti obſervatum in cauſa

Jacob Schweitzers von Knittlingen; qui ob furtum cum effractione conjunctum Anno 1616. die 28. Decembr. ad fuſtigationem & temporalem relegationem fuit condemnatus, hiſce verbis: P. P. Daß Jacob Schweitzer/ wegen ſeiner begangenen Mißhandlung/ durch den Nachrichter ein viertel Stund offentlich in das Halßeiſen geſtellet/ und von dannen mit Ruthen ſcharpff außgeſtrichen werden; ſo dann/ daß er Schweitzer/ wie auch die übrige beede Beklagte/ auff drey Jahr lang/ ꝛc. hiemit verwieſen ſeyn ſoll. *vol. 6. Conſil. Tubing. non editor. pag. 128.* Interdum ſimpliciter Rei ad fuſtigationem condemnantur, ita ut non tantum domicilium retineant, ſed etiam libere in toto Ducatu degere & negotiari poſſint. *vol. 4. Conſil. Tubing. non edit. p. 397. fac. 2. fere in fin.* ibi: P. P. Von dem Nachrichter ein viertel Stund an das Halßeiſen geſtellet/ und mit Ruthen außgeſtrichen werden ſoll. Die Landsverweiſung haben wir nicht ohne beſondere motiven zu unterlaſſen geachtet. Et *vol. 3. dd. Conſil. pag. 460. fac. 2.* ibi: Darbey wir euch jedoch erinnern wollen/ diß Urthel/ (qua reus ad fuſtigationem condemnabatur) in dem Verſtand zu vernemmen/ daß Beklagter deß Hertzogthumbs Würtenberg nicht verwieſen ſey/ ſondern ſo wol in ſeines Flecken Zehenden/ als ſonſten allenthalben im Land ſeine Nahrung (ſein Weib und Kinder ehrlich zu erhalten und außzubringen/) ſuchen und werben möge. Dat. 29. Decembr. 1614. Interdum vero fuſtigationi conjungitur confinatio, idque ſecundum expreſſam Sereniſſimi Ducis ſanctionem, in der Lands-Ordnung. *p. 194. §.* Wa aber jemand. *ibi in fin.* alſobald an offenen Branger geſtellet/ mit Ruthen außgehauen/ in den Flecken/ und deſſen Zwing und Bänn verbannet werden/ *& ſeq. §.* Da aber die Perſonen/ *ibi in fin. fere ad.* verba. Item *fol. 265. §.* Da aber Perſonen/ ibi: an Pranger mit Urtheil erkennt/ mit

Ru-

Ruthen außgehauen/und nach Gelegenheit Lands verwieſen / oder in das Ort/ da ſelbige verburgert / verbannet werden. *& fol. 270. §.* Wann aber. *ibi in fin.* An Branger geſtellt/ mit Ruthen außgeſchwungen/und nach Beſchaffenheit der Perſon/auch anderer Umbſtänd/ unſers Hertzogthumbs verwieſen/ oder in deß Orts ſeines habenden Burgerrechts Zwing und Bänn verbannet werden. Hancque ſanctionem Antecesſores hujus Univerſitatis non tantum in delictis, de quibus in dd. ll. agitur, ſed etiam in aliis, ut ſæpe quidem in puncto furti obſervarunt, uti apparet ex illorum reſponſis, quæ habentur *vol. 3. Conſil. Tubing. non editor. pag.* 481. 460. 230. 211. *& ſeqq.* 159. 77. *&* 54. *vol 4. pag.* 397. 251. 132. 16. *vol.* 6. 797. 817. & aliis locis. Ob quas autem perſonæ qualitates & circumſtantias confinatio potius quam relegatio fuſtigationi conjungenda ſit, addiſcimus ex Conſilio, quod Inclytæ hujus Univerſitatis Profeſſores in puncto furti dederunt Anno 1612 die 5. Novembr. ubi inter alia hæc leguntur verba: Und haben wir ſonſten derentwegen / die Verbannung in den Zehenden mehr dann die Landsverweiſung vorzunemmen für rathſam erachtet/weiln peinlich Beklagter/Weib und Kind/ auch dergeſtalt ſein Thun und Laſſen beſſer in acht genommen werden kan / dann wann er in die Frembde kommen / und erſt in noch gröſſer Laſter zu gerathen/beſſere Gelegenheit haben möchte. In pœnis enim infligendis etiam liberorum ratio haberi debet. *l. 7. §. 3.* ibi: *favorabilem apud me cauſam liberorum numerus facit. ff. de bon. damnat.* Tiraq. *de pœn. temp. cauſ. 26.* Unde in hoc Ducatu Magiſtratus, delicto aliquo commiſſo, inter alia etiam hoc Sereniſſimo Principi & ejus Conſiliariis denunciare debent, reus an & quot liberos habeat. Lands-Ordn. *pag. 357.* ibi: Ob ſie Weib und unerzogene

Kinder? Wie viel ſie der Kinder? *& p. 359. §. 4. in fin.* Denique pii Magiſtratus ſummam quoque emendationis Reorum habent rationem, & in pœnis non capitalibus ſemper illam aliis præferunt pœnam, quæ majorem emendationis ſpem promittit. In vindicandis ſiquidem delictis, hæc tria lex ſecuta eſt, quæ Judex quoque ſequi debet, ut aut eum, quem punit, emendet, aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat, aut ut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant. Senec. *de Clem. lib. 1. c. 21.* Unde Paulus, pœna, inquit, conſtituitur in emendationem hominum. *l. 20. ff. de pæn.* Et Seneca: Prudens punit, ne peccetur. *lib. 1. de Clem. c. 16.* Quod itaque in genere de pœnis infligendis ſcribit H. Grotius *de I. B. & P. lib. 2. c. 20. num. 9.* illud utique etiam hic veriſſimum eſſe puto, nimir. quod & facti inquiſitio magnam diligentiam, & pœnæ æſtimatio multum prudentiæ & æquitatis deſideret.

XXXIX.

Ut autem prædictæ pœnæ locum habeant, præprimis hoc delictum probatum eſſe, deque eo in Actis conſtare debet: circa quam tamen probationem ſingularia quædam in odium deteſtandi hujus ſceleris à Dd. traduntur: quod ſcil. licet teſtes regulariter non admittantur lite non conteſtata. *c. 5. X. ut lite non conteſt.* & pars adverſa citari debeat ad vivendum jurare teſtes. *l. pen. C. d. teſtib.* In hoc tamen delicto teſtes etiam lite non conteſtata & adverſa parte non citata examinari poſſint, adeo ut plenam fidem faciant. Decian. *d. c. 30. n. 23.* Paul. Merend. *ante alleg. conſil. n. 9.* Petr. Theod. *d. diſp. 7. th. 6. lit. d.* Hunn *d. diſp. 7. th. 36.* quod probetur hoc crimen probabilibus argumentis, quod tamen in cæteris criminalibus judiciis fieri haud poteſt, ubi proba-

bationes luce meridiana clariores exiguntur. *l. f. Cod. d. probat.* Bajard. *ad Jul. Clar. d. l. n. 21.* Decian. *d. l. n. 22.* Farin. *d. q. n. 46.* qui *n. 50.* addit, quod in hoc delicto teſtis de auditu faciat indicium ad torturam. Theodor. & Hunn. *dd. ll.* quod Aſſaſſinus etiam nullis aliis concurrentibus indiciis torqueri poſſit ad indicandum aſſaſſinatorem. Decian. *d. c. num. 27.* Farin. *d. q. num. 58.* Petr. Theod. & Hunn. *dd. ll.* quod in hoc crimine procedatur omiſſo juris ordine. Gabriel. *lib. 7. concl. 1. n. 23.*

XL.

Et cum in cæteris delictis neceſſario de corpore delicti conſtare debeat, ita ut Judex neque ad torturam, neque ad condemnationem devenire poſſit, licet rei quoque confeſſio adſit. *l. 1. §. Divus. §. 27. ff. d. pœn.* uti id pluribus demonſtrat & explicat ille Practicorum Princeps Carpz. *pr. crim. p. 3. q. 108. per tot.* In hoc autem crimine, cum ſola conventione de tertio aliquo occidendo illud perficiatur, ut ſuperius indicatum, adeoque ſit facti tranſeuntis, quod nullum poſt ſe relinquit veſtigium, ſufficit, ſi per utriusque Aſſaſſinatoris ſc. & Aſſaſſini confeſſionem, aut per indicia de corpore hujus delicti conſtet. Petr. Theod. *d. l.*

XLI.

His ergo modis ſi veritas perpetrati Aſſaſſinii fuerit eruta, Judicis competentis erit reum ad pœnas antea recenſitas condemnare. Quis autem ſit Judex competens, id ex generalibus criminalis materiæ principiis erit petendum: nimirum qui in genere facultatem habet de cauſis criminalibus cognoſcendi, ſeu quod idem eſt, cui competit merum imperium. *l. 3. ff. de Iurisd. l. 6. ff. d. offic. Procons.* & in cujus territorio vel delictum hoc eſt commiſſum, vel reus domicilium habet, vel deprehen-

ditur. *l. 3. ff. de offic. Præs. l. 7. §. pen. & ult. ff. de accus. & inſcript. l. 7. ff. de Cuſtod. reor. l. 1. & Auth. Qua in provincia. C. ubi de crimin. ag. oportet. l. 1. Cod. ubi Senat. vel clariſſ. conven.* Sed quid, ſi in uno territorio conventio de altero occidendo inita, in alio vero territorio ipſum homicidium ſubſecutum fuerit, cujus loci Dominus tunc ratione delicti commiſsi Judex competens erit? Reos hoc in caſu utroque in loco forum ſortiri cenſeo, idque per *d. l 1. Cod. ubi de crimin. ag.* ita ut in loco commiſsi homicidii non tamen Aſſaſſinus, ſed etiam aſſaſsinator jure accuſetur & puniatur. Cum & ipſe ibidem deliquiſſe videatur, quod quis enim per alium facit, per ſemetipſum feciſſe intelligitur. Gabriel. *lib. 7. concl. 1. num. 27.*

LXII.

Contraria ſunt 1. Mors delinquentis, per generalem illam regulam, qua delicta morte delinquentium extingui dicuntur. *l. 1. pr. ff. d. priv. del. l. 2. l. 3. Cod. Si reus vel accus. mort. fuer.* Vultejus *Iurispr. Rom. lib. 1. cap. 61. in fin.* Ludwell. *diſput. 14. th. ult. lit. e.* Peccata enim ſuos tenere debent authores. *l. 22. Cod. d. pœn.* & unusquisque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. *l. 26. ff. d. pœn.* 2. Præſcriptio viginti annorum, qua regulariter omnia crimina tolluntur. *ſec. l. 12. Cod. ad L. Corn. de fals.*

TANTUM!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE